

jam quisque liberos suos ceterosque, quos caros habebat, ut, abjectis tandem libris latinis & græcis, & repudiata pædagogorum doctrina, ad hos thesauros se conferant, hanc animo complectantur sapientiam, neque iis aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utantur scholastici homines, sed his adminiculis se id, quod expetant, consequi posse confidant. Hinc illa doctrinæ popularis in scholis efflagitatio, quæ tantas controversias excitavit utrinque ingenti partium studio agitata, dum neutra concedere vellet alteri & ambae sibi viderentur certare pro aris & focis. Quiquidem animorum calor postquam paulatim cœpit defervescere & locum dare prudenti rationis arbitrio de utriusque partis postulatis cognoscenti; tum quidem animadversum est, quam graviter peccari soleat iliacos intra muros & extra. Nec fieri potest, ut hæc lis componatur, nisi cognita & dijudicata utriusque generis calumnia.

Ac magistrorum quidem in Gymnasiis foret sane magnus stupor, si jam velint excludere e cancellis scholasticis has ævi nostri lautitias, & in hac elegantis doctrinæ abundantia clamare & queri de novarum rerum studio, tanquam futores veteramentarii & circulatores, quos male habeat seculi nostri fastidium. Et profecto, si satis valent ingenio & ipsi fuerunt liberalium artium studiis exculti, iidem erunt quam maxime popularis doctrinæ auctores & adjuutores.

Sed ex altera parte occurrit difficultas haud paulo major ex verbi controversia, quod sunt, qui popularis doctrinæ eam vim esse putent, ut nihil non ex ipsa vitæ consuetudine & communi usu, omni ætatis discrimine sublato, transferatur in scholam, & ut ipsa artificiorum opificiorumque varia genera tradantur & negotia tractentur. Quæ ratio, si obtinuerit, miram sane conciliaverit scholis faciem, paucis abhinc ætatibus conspiciendam. Neque enim dubium est, quin, si scholasticus quidam somniator, quemadmodum civilis ille Parisinus (\*), ultra septingentos abhinc annos visus sibi somno oppressus, seculo, quod proxime futurum est, fuerit expergefactus, videat in his ipsis Gymnasiis nostris disci & tractari artem veterinariam, aut quamvis aliam huic similem. Nimirum hoc popularis doctrinæ consilium, quod quidam illius patroni tantopere commendant, aperte valet eo, ut operarii quidam instituantur. Sed, si scholæ tribuimus omnia, quid tandem relinquatur vitæ? Et quid dicam de eo, quod hæc ratio haud sane conveniens est & congrua ipsi naturæ humanæ & vitæ? Nimis enim accelerat ætatis viriumque ingenii & corporis maturitatem, quæ adjuvanda erat iis litteris & disciplinis, quibus pueri & adolescentuli informari solent ad humanitatem. Nemo unquam floruit vera eruditionis

(\*) In libro famoso, qui inscribitur: l'année deux mille quatre cent quarante.